OFFICIUM FESTI
INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS
SANCTI CATALDI
EPISCOPI ET CONFESSORIS
TARENTINÆ CIVITATIS
ET UNIVERSÆ DIŒCESIS
PATRONI

Illuſtrissimi & Reverendissimi Domini

JOSEPHI CAPYCII-LATRO

ARCHIEPISCOPI TARENTINI

JUSSU EDITUM

NEAPOLI

CIↃIↃCCLXXXVII

APUD MICHAELEM MORELLIUM

Superiorum permiſſu



JOSEPHUS CAPYCIUS-LATRO
e Ducibus Morrone, Patricius Neapolitanus ex S. Concistorii Advocato, utriusque Signaturæ Referenrio, ac Prelato Domestico, nunc Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Tarentinus, S. R. M. a latere Consiliarius, Utilis Dominus & Baro Terræ Cryptalearum, Monacitii, Civitellæ, ac Montiscasii; nec non Feudorum S. Mariæ de Camera, Termiteti, ac S. Theodori &c. &c. &c.

Clero Tarentino salutem in Christo Jesu.

CUm eo consilio institutæ fuerint preces publicæ, Fratres charissimi, ut conspirantibus animis Deo vim gratissimam inferat Populus Christianus; idcirco vehementer optavit Concilium Tridentinum, ut Officia divina ad eam formam revocarent Episcopi, quæ exorandæ supremi Numinis majestati, & excitandis sinceræ pietatis affectibus esset magis accomodata. Quapropter toto abhinc uno sæculo id studiose curarunt permulti Ecclesiæ Præsules, ut in suarum Ecclesiarum Breviariis corrigerent, quidquid non satis emendatum invexerat incuria, vel temporum conditio. Eodem hoc bono ut frueretur nostra Diœcesis, vehementi desiderio tenebamur. Ex quo enim nobis, indignis licet, hujus Ecclesiæ gubernaculum commisit divina providentia, non sine quadam animi ægritudine perspeximus, eam hactenus Breviario caruisse, cujus concinnitas & perfectio ipsius dignitati responderet. Ad hanc

rem conficiendam omnem operam ſtudiumque conferre adhuc, majoribus noſtri Miniſterii curis præpediti, non potuimus. Verum veteris Officii S. Cataldi hujuſmet Eccleſiæ Patroni exhauſtis penè exemplaribus, cum illud recudi, vel novum dari oporteret, conſultius nobis viſum eſt, novum potius edi, tum ut tanti Pontificis acta in meliorem formam redigerentur, tum ut vobis quaſi ſpecimen quoddam foret integri hujus Eccleſiæ Breviarii, quod, Deo favente, melioribus curis elaboratum vobis præſtandum confidimus.

Quocirca pro ea, qua fungimur, auctoritate, omnibus noſtræ Diœceſeos Eccleſiis, Capitulis, Parochiis, Collegiis, Monaſteriis, Comunitatibus, Presbyteris, atque omnibus Clericis tam Sœcularibus, quam Regularibus, qui ad recitandum divinum Officium canonica lege tenentur, mandamus in Domino, ac præcipimus, ut hocce S. Cataldi officio utantur in poſterum, Diſtrictè inhibentes, ne deinceps a prima die menſis Maii currentis anni aliud quam hoc noſtrum, ſive privatim, ſive publice, recitare præſumant.

Datum Tarenti in palatio noſtro Archiepiſcopali ſub ſigno ſigilloque noſtris, & Secretatarii noſtri chirographo die prima menſis Aprilis anno milleſimo ſepticenteſimo octogeſimo ſeptimo.

✠ *Joſephus Archiepiſcopus Tarentinus.*

De mandato Ill., & Rev. Dom. Archiepiſcopi

Petrus Gigante Secretarius.

Die

DIE VIII. MARTII

IN FESTO S. CATALDI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Tarentinæ Civitatis & Univerſæ Diœceſis Patroni.

DUPLEX I. CLASSIS.

Si hoc feſtum venerit in feria IV. Cinerum, vel Dominica prima Quatrageſimæ, vel Paſſionis, transfertur in ſequentem diem.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pater noſter. Ave Maria.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde.

℟. Domine, ad adjuvándum me feſtina. *Pſ.69.*

Glória Patri, & Filio, & Spirítui Sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ant. Suſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, & ánimam meam fáciet. 1. *Reg.*2.

*Pſal.*109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * ſede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominàre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus

Sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Gloria Patri &c.

Ant. Suscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, & ánimam meam fáciet. *I. Reg.*2.

Ant. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum. *I. Reg.*2.

*Psal.*110.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificentia opus ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: * escā dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditatem Géntium: * ópera mánuū ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculū sæculi: * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suū.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri &c.

Ant. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altare meum, & adoléret mihi incensum. *I. Reg* 2.

Ant. Ædificábo ei domum fidélem; & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus. *I. Reg.*2.

Psalm.

Psal. 111.

BEátus vir, qui tímet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * misericors, & miserátor, & justus.

Jucúndus homo, qui miserétur, & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmatū est cor ejus: * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & irascétur, déntibus suis fremet & tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Gloria Patri &c.

Ant. Ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus. *I. Reg.* 2.

Ant. Erit ipsi pactum Sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo, & expiávit scelus Filiórum Israel. *Num.* 25.

Psal. 112.

LAudáte, puéri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Domini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus: * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat: * & humília réspicit in cœlo, & in terra?

Súscitans a terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Gloria Patri &c.

Ant. Erit ipsi pactum Sa-

Sacerdótii sempitérnum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiávit scelus Filiorum Israel. *Num.* 25.

Ant. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

Psam. 116.

LAudate Dominum, omnes gentes: * laudate eum, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c.

Ant. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16.

Capitulum. Heb. 5.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátus est a Deo, tamquam Aaron; sic & Christus non semetipsum clarificàvit, ut Pontifex íieret, sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu, ego hódie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

CHríste, Pastorúm caput, atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honorem.

Strénuum bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Pascere gentem.

Fit gregis Pastor, pater, atque forma:
Lætus impendit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, reficit gementes;
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;

Fit

Fit potens verbo, docet alta, pravum,
Cónterit hostem.

Fac, ut illíus précibus juvemur,
Christe; fac Patrem, paríterque tecum
Spíritum jugi celebremus hymno
Omne per ævum. ℟. Amen.

℣. Beátus, quem elegisti, & assumpsisti.

℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Psal.* 64.

Ad Magn. Ant. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrifícium Deo, incensum, & bonum odórem pro pópulo suo. *Eccles.* 45.

Canticum Beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1. *c.*

MAgnificat, * ánima mea, Dóminum.

Et exultavit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia réspexit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede: * & exáltavit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericordiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri &c.

Ant. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odórem pro pópulo suo. *Ec.* 45.

Oratio.

DEus, qui populis tuis indulgéntia cónsulis, & amore domináris ∴, quique illis regendis Vicários caritatis tuæ præficis Ministros; da, quæsumus, intercedente B. Cataldo Duce, & Pontifice nostro, spiritũ sapiẽtiæ, quibus præesse dedisti Ecclésiæ tuæ ∴, ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna Pastorum. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

AD COMPLETORIUM

Converte nos, Deus salutáris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, in adjutórium &c. ℟. Dómine, ad adjuvandum &c. Glor. Patr.

Ant. Die, noctuque.

Psalm. 4.

CUm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * & exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequò gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eũ.

Irascimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui * multiplicati sunt.

In pace, in idipsum * dormiam, & requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe: * constituisti me.

Gloria Patri &c.

Psalm. 30.

IN te, Domine, speravi non confundar in æternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meus es tu: * & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Gloria Patri &c.

Psalm. 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: * Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno;

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, * ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: * & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri &c.

Psalm. 133.

ECce nũc benedicite Dominum, * omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, * & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit cælum & terram.

Glo-

Gloria Patri &c.

Ant. Die, noctúque fugiébat somnus ab oculis meis pro grĕgibus tuis, Domine. *Genes.* 31.

Hymnus.

GRates, peracto jam die,
Deus, tibi persolvimus;
Pronóque, dum nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.
Quod longa peccávit dies,
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vulnera.
Infestus usque círcuit
Quærens leo quem dévoret:
Umbra sub alárum tuos
Defende filios, Pater.
O quando lucescet tuus,
Qui nescit occásum, dies!
O quando sancta se dabit
Quæ nescit hostem pátria!
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, & per omne sæculum. ℟. Amen.

Capitulum. I. *Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diei. Non sumus noctis, neque tenebrárum; igitur non dormiámus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrii simus. ℟. Deo gratias.

℟. In manus tuas, Domine, * Commendo spíritum meum. In manus.

℣. Redemisti me, Domine, * Deus veritatis. Commendo.

Gloria Patri. In manus. *Psalm.* 30.

℣. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege me. *Ps.* 16.

Ant. Cum vénerit Dominus.

Cant.

Cant. Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimíttis servum tuum, Domine, * secundúm verbum tuum in pace.

* Quia vidérunt oculi mei * salutáre tuum.

Quod parásti * ante fáciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem géntium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri &c.

Ant. Cum vénerit Dominus, & pulsáverit, beati servi, quos ínvénerit vigilantes. *Luc.* 12.

℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spíritu tuo.

Oremus.

DEus, qui illúminas noctē, & lucē post ténebras facis.·˙ cōcede nobis, ut hanc noctem sine impedimento Sátanæ tránseamus; atque matutínis horis ad altare tuum recurrentes.·˙ tibi Domino Deo gratias & laudes referamus. Per Dominum nostrum.

℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino
℞. Deo gratias.

Finito Completorio submissa voce dicitur.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis. *II.Cor.* 13. ℞. Amen.

Postea dicitur Antiphona de B. M. Virgine, ut habetur in Breviario.

Post completum Officium dicitur secretò. Pater, Ave, Credo.

AD

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Pater noster. Ave Maria. Credo secreto.

Deinde alta voce dicitur.

Domine, labia mea apéries.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℞. Domine, ad adjuvandum me festina. *Ps.* 69.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Invit. Christum Pastorum principem, * Venite, adorémus. *I. Petr.* 5.

Repet. Christum Pastorum Principem, * Venite, adorémus. *I. Petr.* 5.

Psal. 94.

VEnite exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilemus ei.

Christum Pastórum principem, * Venite, adoremus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntiũ ipse cónspicit.

Venite, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorémus, & procidámus ante Deum; plorémus corám Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Christum Pastórum principem, * Venite, adoremus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndúm diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, & vidérunt ópera mea.

Venite adoremus.

Quatraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi; Semper hi errant cor-

corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus jurávi in ira mea: si introíbunt in réquiem meam,

Christum Pastórum principem, * Venite, adoremus.

Gloria Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Venite, adoremus.

Christum Pastorum principem, * Venite, adoremus.

Hymnus.

CHriste, decréto Patris institúte
Pontifex summo, tibi, qui fideles,
Quos legis, formas populis regendis
Ipse Ministros:

Hunc juvat festo celebrare cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens, & invitus, duce te, treméndum
Sumpsit honorem.

Noverat quantis pateat periclis
Ille, qui summos apices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni
Sústinet omnes.

Fécerat fervens amor inquiétum:
Quo gregis chari pia cura poscit
Advolat promptus: mora non euntem
Ulla retardat.

Dux iter, vitâ præeunte, monstrat;
Comprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè olente Christi
Implet odóre.

Lux erat cœco, cólumen labanti,
Una spes lapso, misero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.

Christe Pastorum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruore,
Fac, ut æternæ subéant opíma
Pascua vitæ. ℟. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Vocávit eum Dóminus, & ait : Vidi afflictiónem pópuli mei : veni, & mittam te, ut edùcas populum meum. *Exod.* 3.

Psalm. 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit : * & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus : * & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignũ, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet : * & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : * neque peccatores in concilio justorũ.

Quoniam novit Dominus viam justorum : * & iter impiorum peribit.

Gloria Patri &c.

Ant. Vocávit eum Dóminus, & ait : Vidi afflictiónem populi mei : veni, & mittam te, ut edúcas populum meum. *Exod.* 3.

Ant. Dixit ad Deum : Quis sum ego, ut vadam, & edúcam Filios Israel ? Qui dixit ei : Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Psalm. 2.

QUare fremuerunt gentes, * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum : * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum : * & projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cælis, irridebit eos : * & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua : * & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me : * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã :

& possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea: * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinã, ne quando irascatur Dominus: * & pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus: * beati omnes, qui confidunt in eo.

Gloria Patri &c.

Ant. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam, & edúcam Filios Israel? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Israel: Scito, quod míserim te. *Judit.* 6.

Psalm. 3.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicũt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominũ clamavi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: * & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri &c.

Ant. Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Israel: Scito, quod míserim te. *Judit.* 6.

℣. Pósui adjutórium in potente.

℟. Et exaltávi electum de plebe mea. *Ps.* 88.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed libera nos a malo.

Absolutio. II. Mach. 1.

Adapériat Deus cor nostrum in lege sua, & in

 præ-

præceptis suis, & det nobis cor omnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

℣. Jube, Dómne, benedicere.

Benedictio. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

Lectio I.

De Epíst. ad Heb. *cap.* 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis, & hospitalitátem nolíte oblivísci. Per hanc enim placuérunt quidam ángelis hospítio receptis. Mementóte vinctórum, tamquam simul vincti: & laborántium, tamquam & ipsi in córpore morantes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Fornicatóres enim, & adúlteros judicábit Deus. Sint mores sine avarítia, contenti præséntibus. Ipse enim dixit: non te déseram, neque derelínquam, ita ut confidenter dicámus: Dóminus mihi adjutor est: Non timébo, quid fáciat mihi homo. Mementote præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum conversationis, imitámini fidem. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *I.* Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe.

℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novissimus, & ómnium Minister: * Esto in illis. *Luc.* 32. *Marc.* 9.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Filius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, *I. Joan.* 5. ℟. Amen.

Lectio II.

OBedíte præpósitis vestris, & subjacére eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri, ut cum gaudio hoc fáciant, & non geméntes. Hoc enim non éxpedit vobis, orate pro nobis. Confídimus enim, quia bonam consciéntiam habemus, in ómnibus bene volentes conversári. Amplius autem déprecor vos hoc facere, quo celérius restítuar vobis. Deus autem

tem pacis, qui edúxit de mortuis pastórem magnum óvium in sánguine testaménti ætérni, Dóminum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis, quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculorum: Amen. Tu autem, Dómine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *II.* Speculatórem dedi te domui Israel. * Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiábis eis ex me.

℣. In mente habe, quáliter accéperis, & audieris, & serva. * Audiens ergo. *Ezech.* 33. *Apocal.* 3.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritatem. *Joan.* 16. ℟. Am.

Lectio III. ad Hebr. 10.

REmemorámini autem prístinos dies, in quibus illumináti magnū certámen sustinuistis passionū, & in áltero quidem oppróbriis, & tribulatiónibus spectáculum facti, in altero autem socii táliter conversántium effecti. Nam & vinctis compassi estis: & rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes, vos habére meliórem & manentem substantiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram: quæ magnā habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est; ut voluntátem Dei facientes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquantulúmque qui ventúrus est véniet, & non tardábit: justus autem meus ex fide vivit. Quod si subtráxerit se, non placébit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractiónis fílii in perditiónem, sed fídei in acquisitiónem ánimæ. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *III.* Accede ad altáre, & ímmola pro peccato tuo *: Offer holocáustum, & ✠ deprecáre pro te, & pro pópulo.

℣. Debet Póntifex quēádmodum pro pópulo, ita etiam & pro semetípso offerre pro peccátis. * Offer holocáustum.

Gloria Patri &c. ✠ de-

precáre pro te. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. In lege Domini congregatiónem judicavit, & in fide sua probátus est Propheta; & cógnitus est in verbis suis fidelis. *Ec.* 46.

Psalm. 17.

DIligam te, Domine, fortitudo mea: * Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus adjutor meus: * & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ: * & susceptor meus.

Laudans invocabo Dominum: * & ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me dolores mortis: * & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me: * præoccupaverunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocavi Dominum: * & ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: * & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Commota est, & contremuit terra: * fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarsit: * carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cælos, & descendit: * & caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubim, & volavit: * volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: * tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt: * grando, & carbones ignis.

Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: * grando, & carbones ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipavit eos: * fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum: * & revelata sunt

fun-

fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua, Domine: * ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Gloria Patri &c.

Ant. In lege Dómini congregátiónem judicávit, & in fide sua probátus est Prophéta; & cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccl.* 46.

Ant. Dedit illi legem, ne oblivisceretur præcepta Dómini, & ut non exerrárent méntibus, & hortabátur, ne legem amovérent a corde suo. *II. Machab.* 2.

Divisio Psalm. 17.

MIsit de summo, & accepit me: * & assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab iis, qui oderunt me: * quoniam confortati sunt super me.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ: * & factus est Dominus protector meus.

Et eduxit me in latitudinem: * salvum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: * & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodivi vias Domini: * nec impie gessi a Deo meo.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: * & justitias ejus non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo: * & observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: * & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorũ ejus.

Cum sancto sanctus eris: * & cum viro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris: * & cum perverso perverteris.

Quoniã tu populũ humilem salvum facies: * & oculos superborum humiliabis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: * Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar a tentatione: * & in Deo meo transgrediar murum.

Gloria Patri &c.

Ant. Dedit illis legem, ne

ne oblivifcerentur præcepta Dómini, & ut non exerrárent méntibus, & hortabátur, ne legem amoverent a corde fuo. *II. Mach.* 2.

Ant. Apériet os fuum, & in oratione confitébitur Dómino; & ipfe díriget consílium ejus, & difciplínam. *Eccl.* 39.

Altera divifio Pfal. 17.

DEus meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata: * protector eft omnium fperantium in fe.

Quoniã quis Deus præter Dominum? * aut quis Deus præter Deum noftrũ?

Deus, qui præcinxit me virtute: * & pofuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum: * & fuper excelfa ftatuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: * & pofuifti, ut arcum æreum, brachia mea.

Et dedifti mihi protectionem falutis tuæ: * & dextera tua fufcepit me.

Et difciplina tua correxit me in finem: * & difciplina tua ipfa me docebit.

Dilatafti greffus meos fubtus me: * & non funt infirmata veftigia mea.

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: * & non convertar, donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt ftare: * cadent fubtus pedes meos.

Et præcinxifti me virtute ad bellum: * & fupplantafti infurgentes in me fubtus me.

Et inimicos meos dedifti mihi dorfum, * & odientes me difperdidifti.

Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum: * nec exaudivit eos.

Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: * ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: * conftitues me in caput gentium.

Populus, quem non cognovi, fervivit mihi: * in auditu auris obedivit mihi.

Filii alieni mentiti funt mihi, filii alieni inveterati funt: * & claudicaverunt a femitis fuis.

Vivit Dominus, & bene-

nedictus Deus meus: * & exaltetur Deus salutis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me; * liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me: * a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine: * & nomini tuo psalmum dicam.

Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David: * & semini ejus usque in sæculum.

Gloria Patri &c.

Ant. Apériet os suum, & in oratióne confitébitur Dómino; & ipse díriget consílium ejus, & disciplinam. *Eccles.* 39.

℣. Invocábant Dóminũ Sacerdótes ejus:

℟. Ipse exaudiébat eos, & loquebatur ad eos. *Ps.* 98.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio III. Reg. 8.

Deus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Deus det nobis illumináros óculos cordis, ut sciámus, quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

Lectio IV.

TAréntum, Urbs florentíssima, Calábriæ quõdam, Apuliæ, totiúsque Lucániæ Caput, ab ipso Apostolórum Príncipe veritátis lumen accépit. Id perantíquæ sacrárum ædium imágines, id quarumdam Ecclesiárum títuli, id dénique constans tradítio, quæ magnam in rebus humánis fidem habet, aperte confirmant. Non longe post gravíssimis Itáliæ bellis tot annis ductis, ténebræ quasi divínis humánisque rebus offundebantur, in quibus jacébant tum céteræ Civitátes, tum præcipuè frequéntissima isthæc Tarentinórum Regio. Eo autem Populórum audácia prorúpit, ut nulla sane religiónis spécies apparéret, grassantibus undíque lascíviis, illecebris, aliisque Gentíliũ oblectamentis. In hac témporum iniquitáte CATAL-

DUS Hybernensis, ut fertur, divino consílio Taréntum advénit. Mirũ quãta vir Dei in ipso Civitatis áditu prodígia patrávit! Sed illud populáre atque plausíbile factum est, quod cœco a nativitate sibi occurrenti visum íllico impetráverit. Tantæ rei nóvitas incredíbilem excitat Civiũ admiratiónem, & contínuo CATALDUM tamquam cœlo demissum suspíciunt, venerántur, sequuntur. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *IV.* Audívit eum Dóminus, & vocem ipsíus, & dedit præcépta, & legẽ vitæ & disciplínæ, * Docére Jacob testaméntum suũ, & judícía sua Israel.

℣. Hic est, qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis, * Docére Jacob. *Eccl.* 45. *Act.* 7.

℣. Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Dígnos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestate tenebrárum. *Colos.* 1. ℟. Amen.

Lectio V.

INnúmera deínde CATALDUS ad suæ divínæ missiónis manifestátionem dedit signa, quibus se per ómnia Apóstolis æquálem ostendit, nunc morbos fugántem, nũc malos ejicientem Dœmones, nunc fluctibus, tempestatíque imperántem. Nec minóra sapiéntiæ, ac bonitátis suæ exempla spectanda propósuit, ut exinde corda Tarentinórum a sórdibus, & peccati vetérno excitáta, divíni amóris æstuarent incéndio. Utque in ánimis credéntium altis defixa radícibus fides inesset, Clérum instítuit, & Presbyteros ordinávit, qui familiári consuetúdine, & comuni cum sapientíssimo Præsule contubernio usi, primítias Taréntinæ Ecclesiæ exémplis, & miráculis mirifice illustrárunt. Brevi itaque præclaríssima Cívitas, quæ usque adhuc impurissimórũ scélerum contagióne sordéscens, nefáriis turpissimisque vitiis implicáta jacúerat, tanti Pontificis fulgóre illustráta, errórum calíginem disjécit, & ignorántiæ ténebras omníno dissipávit.

Tu

Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. V. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis; & dedi ei timórem, & tímuit me: * Lex veritátis fuit in ore ejus; & iníquitas non est inventa in labiis ejus.

℣. Fidélis erat in tota domo ejus, tamquam fámulus, in testimónium eórum, quæ dicenda erant: * Lex. *Malach.* 2. *Hebr.* 3.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio: Aperiántur óculi nostri, ut convertámur a ténebris ad lucem, & accipiámus fortem inter Sanctos. *Act.* 26. ℟. Amen.

Lectio VI.

CUm igitur Ecclésiam suam tot exemplis instrúctã, tot miráculis confirmátam, tot sanctíssimis légibus devínctam, in omnem evéntum solidásset, sui córporis dissolutióne agnóvit; atque exinde tantus in sanctíssimo Viro ardor est excitátus, ut ad cœlũ occúlta ac suavíssima vi jam rapi viderétur. Interim providentíssimus Pastor in ipso pene mortis artículo extréma charitátis suæ argumènta frátribus dedit, ipsosque nec spe fluctuantes esse, nec adversis fractos admónuit, sed ad omnia, quæ legis & sanctimóniæ sunt, aut impléda, aut toleranda paratos promptiórésque exhibérent. Inter hæc præclaríssima religiónis, pietatis, & castimóniæ mónita extrémum óbiit diem octavo Idus Martii, jucúndam diuturnamque memóriam Pontificatus & nóminis sui Tarentínis relinquens. Adeat nunc & in ætérnos annos bonus Pastor utilitati, ac sanctitati Tarentinæ hujus Ecclésiæ, ut quantum hodie beneficiórum suorum recordatióne gloriamur, gloriémur tantũ & moribus, qui ab íntegra fide a tanto Póntifice accepta profíciscúntur. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo gratias.

℟. VI. In pace, & in æquitate ambulavit, & multos avertit ab iniquitate: * Labia enim sacerdótis custòdient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; ✠ Quia Angelus Dómini exercítuum est.

℣.

℣. Oportet, Epíscopum amplecti eum, qui secundum doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortari in doctrína sana. * Labia. Glória Patri. ✠ Quia angelus. *Malach. 2. tit. 1.*

IN III. NOCTURNO.

Ant. In omni ópere dedit confessiónem sancto, & excélso in verbo gloriæ. *Eccles.* 47.

Psalm. 27.

AD te, Domine, clamabo, Deus meus; ne sileas a me: * ne quando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacũ.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cũ peccatoribus: * & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundùm opera eorum, * & secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuũ eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini: * & in opera manuum ejus destrues illos, & non ædificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Dominus adjutor meus, & protector meus: * in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * & ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ: * & protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuũ, Domine, & benedic hæreditati tuæ: * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Glória Patri &c.

Ant. In omni ópere dedit confessiónem sancto, & excélso in verbo gloriæ. *Eccles.* 47.

Ant. Erogavit pecúnias multas: justítiam, & fidem conservavit genti suæ; & exquisívit omni modo ex altare pópulum suum. *I. Machab.* 14.

Ps.

Psalm. 29.

EXaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, * & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, sancti ejus: * & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * & vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinũ lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * Non movebor in æternum.

Domine in voluntate tua, * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * & factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, & misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar: * Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Gloria Patri &c.

Ant. Erogavit pecunias multas: justítiam, & fidem conservavit genti suæ; & exquisívit omni modo ex altare pópulum suum. *I. Machab.* 14.

Ant. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. *Ec.* 39.

Psalm. 65.

JUbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine: * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi: * psalmum di-

dicat homini tuo.

Venite, & videte opera Dei: * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: * ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt: * qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deũ nostrum: * & auditã facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam: * & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueũ, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem, & aquam: * & eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuã in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum: * quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi, * & exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo: * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amovit orationem meã, & misericordiã suã a me.

Gloria Patri &c.

Ant. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. *Ec.39.*

℣. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Cornu ejus exaltabitur in gloria. *Psalm.* 111.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed libera nos a malo.

Absolutio. II. Machab. 1.

Deus meminerit testamen-

ménti sui, quod locútus est, & exaudiat orationes nostras. ℟. Amen.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fiducia notum facere misterium Evangelii. *Ephes. 6.*

℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 10, *&* 11.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit Jesus quibusdã ex Pharisæis. Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animã suam dat pro óvibus suis. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 46 in Joannem.

LOquens Dóminus Jesus óvibus suis, & præséntibus, & futúris .:, quis ad eas missus esset, osténdit. Omnes ergo audiunt vocem Pastóris sui dicéntis .: . Ego sum Pastor bonus. Non adderet, bonus .:, nisi essent Pastóres mali. Sed Pastóres mali, ipsi sunt fures & latrones .:, aut certe, ut multum, mercenarii. Quis est mercenarius? Sunt in Ecclésia quídam præpositi; de quibus Apóstolus Paulus dicit .: . Sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Quid est, sua quærentes? Non gratis Christum diligéntes; non Deum propter Deum quæréntes; temporalia cómoda consectántes; lucris inhiántes .: honores ab homínibus appeténtes. Tu autem, Domine, miserére nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *VII.* Quis est fidélis servus & prudens, quem constituit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? * Beatus ille servus, quem cum vénerit Dóminus ejus, invénerit sic facientem.

℣. A Dómino suo præpósitus ómnibus, gubernabat créditam sibi domum. * Beatus. *Mat.* 24. *Gen.* 39.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Occurrámus omnes in unitatem fidei, & agnitiónis Filii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

℟. Amen.

Le-

Lectio VIII.

QUod ait Christus, Pastor bonus animam suã ponit pro óvibus, non ipse unus fecit; & tamen si illi, qui fecérunt, membra ejus sunt .: , idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim pótuit fácere sine illis; ipsi sine illo unde potuérunt, cum ipse dixerit; sine me nihil potéstis fácere? Hinc autem osténdimus, quod & alii fecerint .: , quia ipse Apóstolus Joannes dixit; sicut Christus pro nobis ánimã suam pósuit .: : sic & nos debémus animas pro fratribus pónere. Tu autem, Domine, misere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *VIII.* Dóminus supra ómnia, quæ póssidet, constítuet illum: * Omni autem, cui multum datũ est, multum quæretur ab eo; & cui commendavérunt multũ, plus petent ab eo.

℣. In manu Dei potestas terræ, & útilem Rectórem suscitabit in tempus super illam. * Omni autem. *Luc.* 12. *Eccles.* 10.

℣. Jube, Domne, benedicere.

Benedictio. Deus spei repleat nos omni gáudio, & pace in credendo; ut abundémus in spe, & virtúte Spíritus sancti. *Rom.* 15. ℟. Amen.

Lectio IX.

DEbémus, dixit .: Debitóres nos fecit, qui primus exhíbuit. Ideo quodam loco scriptum est .: Si séderis cœnare ad mensam poténtis; sapiénter intellige quæ apponúntur tibi .: , & mitte manũ tuã, sciens, quia talia te oportet præparare. Mensa potentis quæ sit, nostis : ibi est corpus, & sanguis Christi. Qui accédit ad talem mensam, præparet talia. Quomodo ipse pro nobis ánimam posuit; sic & nos debemus, ad ædificándam plebem, & asseréndam fidem .: , animas pro frátribus pónere. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. *IX.* Euge, serve bone & fidelis; quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dñi tui.

℣. Super pópulum meũ constitui te: sapientia, & scien-

ſcientia datæ ſunt tibi; & glóriam dabo tibi. * Intra. Gloria Patri. * Intra. *Matth.* 25. *Paral.* 1.

Hymnus SS. Ambroſii, & Auguſtini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli, & universæ poteſtates.

Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ majeſtatis.

Venerandum tuum verum & unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni: quos pretioso ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuũ Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuũ in ſæculum, & in ſæculũ ſæculi.

Dignare, Domine, die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine; miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

In te, Domine, ſperavi: non confundar in æternum.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c.

Ant. Qui intrat per óstium pastor est oviū: huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus audiunt. *Joa.* 10.

Psal. 62.

DEus Deus meus: * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, & invia, & inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguédine repleatur anima mea: * & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Gloria Patri &c.

Ant. Qui intrat per óstium pastor est óvium: huic ostiárius aperit, & oves vocem ejus audiunt. *Joan.* 10.

Ant. Próprias oves vocat nominatim, & edúcit eas, & ante eas vadit. *Joan.* 10. *Psal.* 69.

DEus, in adjutoriū meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur, & revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Aver-

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, * & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper sum: * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.

Gloria Patri &c.

Ant. Próprias oves vocat nominátim, & educit eas, & ante eas vadit. *Joan.* 19.

Ant. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus: aliénum autem non sequuntur; sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

Psalm. 99.

JUbilate Deo omnis terra: * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, * in exultatione.

Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuæ ejus: * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomē ejus; quoniam suavis est Dominus: * in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.

Gloria Patri &c.

Ant. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus: aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

Ant. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam, donec invéniat eam; & cum invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. *Luc.* 15.

Cant. trium pueror. Dan. 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: * laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino, * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: * benedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber,

& ros Domino: * benedicite omnis spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino: * benedicite frigus, & æstus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: * benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & nives Domino: * benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino: * benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, & colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria, & flumina Domino.

Benedicite cœte, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino: * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domino Domino.

Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino: * benedicite sancti, & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: * laudate & superexaltate eũ in sæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu: * laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: * & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

In fine hujus non dicitur Gloria Patri &c.

Ant. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam, donec invéniat eam; & cum invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. *Luc.* 15.

Ant. Fur venit, ut perdat; mercenárius videt lupum, & fugit: bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Psalm. 148.

Laudate Dominum de cælis: * laudate eum in excelsis.

Lau-

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol & luna: * laudate eum omnes stellæ, & lumen.

Laudate eum cæli cælorum: * & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: * præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra, * dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & universa pecora: * serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: * principes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cælum, & terram: * & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Gloria Patri &c.

Ant. Fur venit, ut perdat; mercenárius videt lupum, & fugit: bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Capitulum. I. Petr. 5.

PAscite, qui in vobis est gregem Dei, providẽtes non coacte, sed spontánee secundum Deũ; neque turpis lucri grátiâ, sed voluntárie; neque ut dominantes in cleris: sed forma facti gregis ex ánimo. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

PAnge, Tarentum, dulcióres cantus
Hac die cunctis tibi sanctiori,
Quâ summas cæli méruit Cataldus
Scándere sedes.

In die vero Translationis dicitur.

Qua cumulatos méruit Cataldus.
Laudis honores.

Novus hic Abraham pátriam relinquens,
Domum ſuoſque bene fauſtus hoſpes
Angelo noſtris Duce, qui monébat,
Appulit oris.

Mox tribus ſignis manifeſta ſeſe
Sánctitas prodit, réfovet dolentes,
Lánguidos ſanat, furióſa paret
Æquoris unda.

Quis dapes parcas, vigileſque noctes,
Quis gregis curam váleat referre?
Inclytam gemmis ubi ſacra preſſit
Infula frontem.

Plenus hinc annis, meritiſque dives,
Víllicus tandem Dómini fidélis,
Sorte Sanctórum fruitúrus altas
Migrat in arces.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriuſque virtus,
Spiritus, ſemper Deus unus omni
Témporis aevo. ℟. Amen.

℣. Elégit Dóminus ſervum suum.

℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſalm.* 77.

Ad Benedictus Ant. Ego ſum óſtium: per me ſi quis introíerit, ſalvábitur; & ingrediétur, & egrediétur, & páſcua inveniet. *Joan.* 10.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael, * quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: * in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, * qui a ſæculo ſunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris, * & de manu omniū, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: * & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Jus-

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, * in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri &c.

Ant. Ego sum ostium: per me si quis introíerit, salvábitur; & ingrediétur, & egredietur, & pascua inveniet. *Joan.* 10.

Oratio.

DEus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, & amore domináris: quique illis regendis Vicários caritátis tuæ præficis Ministros; da, quæsumus, intercedente B. Cataldo Duce & Pontífice nostro spíritum sapientiæ, quibus dedisti Ecclesiæ tuæ, ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna Pastorum. Per Dominum nostrum &c.

Pater. *Ave*. *Credo*.
℣. Deus, in adjutorium meum intende &c.
℟. Domine, ad adjuvandum &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

JAm lucis orto sidere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.
Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.
Incoepta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sensuum.
Præsta, diúrnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te coepimus,
Da te favente prósequi.
Superba ne nimis caro
Ménte licénter imperet,
Carnis domet supérbiam
Potus, cibíque párcitas.
Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio
Sancto simul cum Spíritu
Nunc, & per omne sæculum. ℟. Amen.

Ant. Qui intrat per óstiū.

Psalm. 117.

COnfitemini Dño, quoniā bonus: * quoniam in sæculū misericordia ejus.

Dicat nunc Israel; quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Do-

Dominum : * quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum : * & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor : * non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor : * & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino, * quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, * quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me : * & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circũdantes circũdederũt me : * & in nomine Dõi, quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me, sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis : * & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem : * & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus : * & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis, * in tabernaculis justorum.

Dextera Dñi fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, * dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivã : * & narrabo opera Dñi.

Castigans castigavit me Dominus : * & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : * hæc porta Domini, justi intrabunt in in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me : * & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud : * & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus : * exultemus, & lætemur in ea.

O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare : * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini : * Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, * usque ad

ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: * Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: * & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri &c.

Psalm. 118.

BEati immaculati in via: * qui ambulant in lege Domini.

Beati, qui scrutantur testimonia ejus: * in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, * in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti, * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar, * cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: * in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam: * non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam: * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te: * ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.

In labiis meis, * pronunciavi omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: * & cōsiderabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor: * non obliviscar sermones tuos.

Gloria Patri &c.

REtribue servo tuo, vivifica me: * & custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: * & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, * in omni tempore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Au-

Aufer a me opprobriũ, & contemptum: * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: * & consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea: * vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: * doce me justificationes tuas.

Viam justificationũ tuarum instrue me: * & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me; * & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: * judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis, Domine: * noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, * cum dilatasti cor meum.

Gloria Patri &c.

Ant. Qui intrat per óstium, Pastor est óvium: huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt. *Joan.* 10.

Capitulum. Ephes. 5.

ERátis aliquando ténebræ, nunc autem lux in Dómino: ut fílii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte: probantes, quid sit beneplácitum Deo. ℟. Deo grátias.

℟. *breve*. Christe, fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, fili Dei vivi, * Miserére nobis.

℣. Qui sedes ad dexteram Patris, * Miserere nobis. Gloria Patri, & Filio, & Spíritui sancto. *Repet.* Christe, fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 10. *Job.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Psalm.* 43.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cũ spiritu tuo.

Orèmus.

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium

pium hujus diéi nos pervenire fecisti, tua nos hódie salva virtúte; ut ad nullũ declinémus peccatũ: sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes, & ópera. Per Dóminũ nostrũ Jesũ Christũ filium tuum, qui tecũ vivit, & regnat in unitate Spiritús sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicamus Dño.
℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium; in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomàdarius dicit.

℣. Pretiósa in conspectu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus. *Psalm.* 115.

Sancta Mária, & omnes Sancti ádjúvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum: ut secundum eum, qui vocávit nos, Sanctum & ipsi in omni conversatióne sancti símus. ℟. Amen. *Rom.* 15. *I. Petr.*

℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Dómine, ad adjúvandum me festína. *Psalm.* 69, *& dicitur ter, ultimo additur.* Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos; & opera manuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrarũ dírige. *Psalm.* 89.

Glória Patri &c.

Orémus.

Dirigere, & sanctificáre, régere, & gubernáre, dignáre, Dómine Deus, Rex coeli & terræ, hódie corda, & córpora nostra, sensus, sermónes, & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum: ut hîc, & in æternum, te auxiliánte, salvi & liberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lector. Jube, Domne, benedicere:

Benedict. Det Dóminus le-

leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscribat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8.

Tum fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur ad calcem hujus: in cujus fine dicitur.

Tu autem, Dñe, miserére nostri.

℟. Deo gratias.

Post lectionem, Hebdomadarius dicit: Adjutórium nostrum in nomine Domini: ℟. Qui fecit coelum, & terram. *Psalm.* 123.

Submissiori voce dicit. Benédicite. *Lector versus ad eum:* Deus. *Hebd.* Deus pacis aptet nos in omni bono, ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis, quod pláceat coram se. *Heb.* 13.

Lector. Amen.

Submissa voce. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM

℣. Deus, in adjutórium meum intende &c.

℟. Dómine, ad adjuvandum &c.

Gloria Patri &c.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.
Qui caritátis vinculo
Cum Patre nectis Filium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.
Deo Patri sit glória
Ejusque soli Fílio
Sancto simul cum Spíritu
Nunc, & per omne sæculum. ℟. Amen.

Ant.

Ant. Própias oves vocat nominátim.

Psalmus.

LEgem pone mihi, Domine, viam justificationem tuarum: * & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: * & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorũ: * quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: * & non in avaritiam.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem: * in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquiũ tuum, * in timore tuo.

Amputa opprobriũ meũ, quod suspicatus sum: * quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua: * in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua, Domine: * salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrãtibus mihi verbum: * quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: * quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuã semper: * in sæculum, & in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine: * quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: * & non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis, * quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: * & exercebar in justificationibus tuis.

Gloria Patri &c.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea: * quia eloquiũ tuũ vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque: * a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine: * & consolatus sum.

Defectio tenuit me, * pro peccatoribus derelinquẽtibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, * in loco pe-

peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui, Domine: * & custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi: * quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea, Domine, * dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: * miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas: * & converti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, & non sum turbatus: * ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: * & legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, * super judicia justificationis tuæ.

℣ Particeps ego sum omnium timentium te: * & custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, plena est terra: * justificationes tuas doce me.

Gloria Patri &c.

BOnitatem fecisti cum servo tuo, Domine, * secundum verbum tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: * quia mandatis tui credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui: * propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu: * & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: * ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi, quia humiliasti me: * ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super millia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: * da mihi intellectum, & discã mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: * quia in verba tua supersperavi.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: * & in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me, * secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miseratio-

nes

nes tuæ, & vivam:* quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me:* ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te:* & qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis,* ut non confundar.

Gloria Patri &c.

Ant. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit, & ante eas vadit. *Joan.* 10.

Capitulum. Prov. 27.

Diligenter agnósce vultum pécoris tui, tuosque greges consídera; non enim habébis júgiter potestátem: sed coróna tribuétur in generatiónem & generatiónem. ℞. Deo grátias.

℞. *br.* Deus protector meus,* In ipso sperávi. Deus.

℣. Qui subdit* pópulum meum sub me,* In ipso. Glória Patri. Deus. *Psalm.* 143.

℣. Nisi Dóminus custodíerit civitátem.

℞. Frustrá vígilat, qui custódit eam. *Ps.* 126.

Orèmus.

Deus, qui pópulis tuis indulgèntia consulis, & amóre domináris:* quique illis regendis Vicários caritátis tuæ præficis Ministros, da, quæsumus, intercedente beáto CATALDO Duce & Pontífice nostro, spiritum sapientiæ, quibus præesse dedisti Ecclésiæ tuæ:* ut de profectu sanctárum ovium fiãt gaudia æterna Pastórum. Per Dominum nostrum &c.

AD

AD SEXTAM

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutorium meum intende &c.

℟. Domine, ad adjúvandum &c.

Gloria Patri &c.

Hymnus.

NUnc ſolis excelſum jubar
Toto coruſcat lúmine:
Tu, Chriſte, tu mundum novâ
Sol verus accendis face.

Fac, plena noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus;
Fac, noſtra plénam cáritas
Creſcendo ſurgat ad diem.

Deo Patri ſit glória,
Ejuſque ſoli Fílio
Sancto ſimul cum Spíritu
Nunc, & per omne ſæculum. ℟. Amen.

Ant. Oves illum ſequuntur.

Pſalmus

DEfecit in ſalutare tuū anima mea: * & in verbum tuum ſuperſperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, * dicentes: quādo cōſolaberis me.

Quia factus ſum ſicut uter in pruina: * juſtificationes tuas non ſū oblitus.

Quot ſunt dies ſervi tui: * quādo facies de perſequentibus me judicium.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: * ſed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: * inique perſecuti ſunt me, adjuva me.

Paulo minus cōſumaverunt me in terra: * ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum miſericordiā tuam vivifica me: * & cuſtodiā teſtimonia oris tui.

In æternum, Domine, * verbum tuum permanet in cælo.

In generationem & generationem veritas tua: * fundaſti terrā, & permanet.

Ordinatione tua perſeverat dies; * quoniam omnia

omnia ſerviunt tibi.

Niſi quod lex tua meditatio mea eſt: * tunc forte periiſſem in humilitate mea.

In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas: * quia in ipſis vivificaſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac: * quoniam juſtificationes tuas exquiſivi.

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: * teſtimonia tua intellexi.

Omnis conſumationis vidi finem: * latum mandatum tuum nimis.

Gloria Patri &c.

QUomodo dilexi legem tuam, Domine? * tota die meditatio mea eſt.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: * quia in æternũ mihi eſt.

Super omnes docentes me intellexi: * quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

Super ſenes intellexi: * quia mandata tua quæſivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: * ut cuſtodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi: * quia tu legem poſuiſti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, * ſuper mel ori meo!

A mandatis tuis intellexi: * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum: * & lumen ſemitis meis.

Juravi, & ſtatui * cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.

Humiliatus ſum uſquequaque, Domine: * vivifica me ſecundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: * & judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis ſemper: * & legem tuam non ſum oblitus.

Poſuerunt peccatores laqueum mihi: * & de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum: * quia exultatio cordis mei ſunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, * propter retributionem.

Gloria Patri &c.

INiquos odio habui: * & legem tuam dilexi.

Adju-

Adjutor & susceptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperavi.

Declinate a me maligni: * & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundũ eloquium tuum, & vivam: * & non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, & salvus ero: * & meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis: * quia injusta cogitatio eorũ.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: * ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: * a judiciis enim tuis timui.

Feci judicium, & justitiam: non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: * & in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuã: * & justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi, Domine: * dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, * super aurũ & topazion.

Propterea ad omnia mãdata tua dirigebar: * omnem viam iniquam odio habui.

Gloria Patri &c.

Ant. Oves illũ sequuntur, quia sciunt vocem ejus, aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

Capitulum. Jerem 3.

INtrodúcam vos in Sion, & dábo vobis Pastóres juxta cor meum .: & pascent vos sciéntiâ, & doctrínâ. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Deduxit eos * in viã rectã. Deduxit.

℣. Ut irent * in Civitátem habitatiónis. * In viam rectam. Gloria Patri. Deduxit. *Psal.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum.

℟. Et deduxit eos in spe. *Psal.* 77.

Orémus.

DEus, qui pópulis tuis indulgèntia consulis,

& amóre domináris :* quique illis regendis Vicários caritátis tuæ præficis Ministros, da, quæsumus, intercedente beáto CATALDO Duce & Pontífice nostro, spiritum sapientiæ, quibus præesse dedisti Ecclésiæ tuæ :* ut de profectu sanctárum ovium fiãt gaudia ætérna Pastórum. Per Dominum nostrum &c.

AD NONAM

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c.

Hymnus.

PRono volútus ímpetu
Inclínat in noctem dies,
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

Deo Patri sit glória
Ejusque soli Fílio
Sancto simul cum Spíritu
Nunc, & per omne sæculum. ℟. Amen.

Ant. Fur venit, ut perdat.

Psalmus.

MIrabilia testimonia tua: * ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonũ tuorum illuminat: * & intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum: * quia mãdata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, * secundum judiciũ diligentiũ nomen tuũ.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: * & non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me a calumniis hominum: * ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina su-

super servum tuum : * & doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : * quia non custodierunt legem tuam.

Justus es, Domine : * & rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam testimonia tua : * & veritatē tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus : * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuū vehementer : * & servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, & contemptus : * justificationes tuas non sū oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum : * & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia invenerunt me : * mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum : * intellectum da mihi, & vivam.

Gloria Patri &c.

CLamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine : * justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, salvum me fac : * ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, & clamavi : * quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo : * ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiā tuā, Domine : * & secundum judicium tuū vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : * a lege autem tua lōge facti sunt.

Prope es tu, Domine : * & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis : * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meā, & eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, & redime me : * propter eloquiū tuū vivifica me.

Longe a peccatoribus salus : * quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multe, Domine : * secundum judiciū tuū vivifica me.

Multi, qui persequuntur me, & tribulant me : * a testimonis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, & ta-

tabescebam :* quia eloquia tua non custodierunt.

Vide, quoniam mandata tua dilexi, Domine : * in misericordia tua vivifica me.

Principium verborũ tuorum veritas : * in æternũ omnia judicia justitiæ tuæ.

Gloria Patri &c.

PRincipes persecuti sunt me gratis :* & a verbis tuis formidavit cor meũ.

Lætabor ego super eloquia tua : * sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum : * legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudẽ dixi tibi, * super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam :* & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum, Domine : * & mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua : * & dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua, & testimonia tua : * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : * juxta eloquium tuũ da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo :* secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, * cum docueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : * quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me : * quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuũ, Domine :* & lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, & laudabit te : * & judicia tua adjuvabunt me.

Erravi, sicut ovis, quæ periit : * quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Gloria Patri &c.

Ant. Fur venit, ut perdat; mercenárius videt lupum, & fugit : bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

Capitulum. Act. 20.

ATténdite vobis, & univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos, régere Ecclésiam Dei : quam acquisivit

vit sánguine suo. ℟. Deo grátias.

℟.*br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit eos.

℣. Et in intelléctibus manum suárum deduxit eos. In innocentia. Gloria Patri. Pavit eos. *Psalm.* 77.

℣. Nos pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ.

℟. Confitébimur tibi in sæculum. *Psal.* 78.

Orémus.

DEus, qui populis tuis indulgéntia consulis, & amóre domináris.⁚ quique illis regendis Vicários caritátis tuæ præficis Ministros; da, quæsumus, intercedente beáto Cataldo Duce & Pontífice nostro, spiritum sapiéntiæ, quibus præesse dedisti Ecclesiæ tuæ.⁚ ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna Pastórum. Per Dominum nostrum &c.

IN SECUNDIS VESPERIS

Pater. *Ave.*

℣. Deus, in adjutórium meum intende.

℟. Domine, ad adjúvãdum me festina.

Gloria Patri.

Ant. 1. Ecclésiæ factus sum ego Minister secundúm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleã verbũ Dei. *Colos.* 1.

Psalm. 109.

DIxit Dominus Domino meo: * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinẽ Melchisedech.

Dñs a dextris tuis: * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri &c.

Ant. 1. Ecclésiæ factus sũ ego Minister secundúm dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleã verbũ Dei. *Colos.* 1.

Ant. 2. Scítis, quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárẽ vobis, & docérem vos públice & per domos. *Act.* 20.

Psal. 110.

CONfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * in consilio justorum, & congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio & magnificentia opus ejus: * & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: * escã dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hæreditatem Gentium: * opera manuũ ejus veritas & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculũ sæculi: * facta in veritate & æquitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in æternum testamentum suũ.

Sanctum & terribile nomen ejus: * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri &c.

Ant. 2. Scítis, quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárẽ vobis, & docérem vos publice & per domos. *Act.* 20.

Ant. 3. Mundus sum a sánguine omnium; non enim subterfúgi, quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Act.* 20.

Psal. 111.

BEatus vir, qui timet Dominum: * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generatio rectorum benedicetur.

Gloria & divitiæ in domo ejus: * & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lu-

lumen rectis: * misericors, & miserator, & justus.

Jucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio: * quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus: * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatũ est cor ejus: * non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi: * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: * desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri &c.

Ant. 3. Mundus sum à sánguine ómnium; non enim subterfúgi, quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Act.* 20.

Ant. 4. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem, quam me; dúmmodo consúmem cursum meum, & ministériũ verbi, quod accépi a Dómino Jesu. *Act.* 20.

Psal. 112.

LAudate, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes Gentes Dominus: * & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: * & humilia respicit in cœlo, & in terra?

Suscitans a terra inopem, * & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: * matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri &c.

Ant. 4. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem, quam me, dúmmodo consúmem cursum meum, & ministériũ verbi, quod accépi a Dómino Jesu. *Act.* 20.

Ant. 5. Absit a me hoc peccatum in Dóminum, ut ces-

cessem oráre pro vobis, & docébo vos viam bonam, & rectam. *I. Reg.* 12.

Psal. 131.

MEmento, Domine, David, * & omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino, * votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, * si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis, * & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, * tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata, * invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: * adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Domine, in requiem tuam, * tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam, * & Sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, * & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum, * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: * elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies meas in sæculum sæculi: * hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: * pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari, * & Sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: * paravi lucernã Christo meo.

Inimicos ejus induam cõfusione: * super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri, &c.

Ant. 5. Absit a me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis, & docébo vos viam bonam &

& rectam. *I. Reg.* 12.

Capitulum. Act. 20.

NOcte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrûm, & nunc commoneo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus.

℟. Deo grátias.

Hymnus.

CHriste, Pastórum caput, atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.

Strénuum bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater, atque forma;
Lætus impendit sua, seque, servus
Omnium, curis gravis, ómnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, ténebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Conterit hostem.

Fac, ut illius précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, pariterque tecum
Spìritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. ℟. Amen.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum.

℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Psalm.* 19.

Ad Magnificat Antiph. Sacerdótes tui induãtur salutem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: memento misericordiárum servi tui. *II. Paral.* 6.

Can-

Canticum Beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1. c.

MAgnificat, * anima mea, Dominum.

Et exultavit spiritus meus, * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est; * & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies, * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo; * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede; * & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis; * & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros; * Abraham & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri; &c.

Ant. Sacerdótes tui induántur salútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: memento misericordiárum servi tui. *II. Paralip. 6.*

Orémus

DEus, qui pópulis tuis indulgéntia consulis, & amore domináris.: quique illis regendis Vicários caritatis tuæ præficis Ministros; da, quæsumus, intercedente Beáto Cataldo Duce & Pontifice nostro, spíritum sapientiæ, quibus præesse dedisti Ecclésiæ tuæ .:, ut de profectu sanctárum ovium fiant gáudia ætérna Pastórum. Per Dóminum nostrum &c.

AD COMPLETORIUM.

Omnia, ut supra post primas vesperas pag. 10.

DIE

DIE X. MAII

IN FESTO
INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS
SANCTI CATALDI
EPISCOPI

Tarentinæ Civitatis totiusque Diœcesis Patroni.

Duplex 1. *Class. cum Octava.*

Si hoc festum venerit in die Ascensionis, transfertur in sequentem diem, cum commem. Octavæ Ascensionis: & in secundis vesperis Ascensionis fit tantum commemoratio S. Cataldi. Si venerit in Vigilia, vel infra octavam Pentecostes transfertur post festum Trinitatis.

In Inventione & Translatione Corporis S. Cataldi, omnia dicuntur, ut supra in festo ejusdem, præter Lect. II. Nocturni, quæ dicuntur, ut infra. Psalmi Nocturnorum dicuntur sub una Antiphona, & in fine Antiph., vers., & resp. dicitur: Alleluja, *ut in tempore Pasch.*

Lectio IV.

TRíplicem habet Ecclésia Tarentína beatíssimi Patróni & Præsulis sui Cataldi memóriam, quárũ prima invéntio proprié dici potest, reliquæ vero translatiónis nomen merentur. Diu enim témporum oblivióne corpus præclarissími Epíscopi in ignóto Ecclésiæ loco jacúerat, & non sine máxima cleri pópulique lætitia, Tarentínam cathedram moderánte Drocóne Archiepíscopo anno salutis millésimo septuagésimo primo, inter collabéntis templi rudera sapientíssimâ divínæ providéntiæ dispositiónê repertũ fuís-

fuísse, vetustíssima Ecclésiæ & Civitátis monuménta testántur. Et ne áliquis dubitatióni detur locus, ipsum Prǽsulis nomen in áurea cruce descríptum, quæ adhuc inter pretiósióra hujus Ecclésiæ pígnora servátur, exquisíti óperis marmóreum sepúlcrũ cum córpore continébat. Innúmera pene sunt prodígia, quæ in tanta inventiónis festivitáte Deus patrávit. Póntifex intérea summa cũ reveréntia beatíssimi Prǽsulis relíquias decentióri loco, nempe sub ipso majóris Ecclésiæ altári, aptíssime recóndidit, ut tanti Viri memória ob óculos Tarentinórũ continuo versarétur.

Lectio V.

POsterióribus vero tempóribus cum in dies augerétur populórum frequéntia, qui ad præsentíssimam Prǽsulis opem quotidie implorándam ex longínquis etiam regiónibus turmátim accurrébãt, Raináldus providentíssimus Tarentinórum Póntifex anno milléſimo centésimo septímo sepúlcrum in ampliórem formam redactum solémnibus cœremóniis dicávit. Demum anno salútis millésimo centésimo quinquagésimo primo, Indictióne décima quárta, Rogério Sicíliæ Rege, & Eugénio III summo Pontífice felíciter regnántibus, Gerárdus Archiepíscopus Tarentínus sacéllum miri óperis extrúxit, in quo sãctíssimi Prǽsulis relíquias, in argéntea urna compósitas, solemni pompa, accítis etiam suffragáneis Epíscopis, Christíano more die décima Maii ejusdẽ anni summa cum pietáte repósuit.

Lectio VI.

DIes isthæc, qua nulla auspicácior, splendídior nulla Tarentínis illúxit, solemnis exínde non solum apud Cives habéri cœpit, sed etiam apud exteros; redúndat enim quotánnis gratiárum ómnium plenitúdine. Non longe post urna argéntea, in qua sancti Cataldi corpus cóndi-

ditum fúerat, cum huic Ecclésiæ præesset Rogérius, novo Pontíficis simulácro conficiéndo destináta fuit anno reparátæ salútis millésimo tercentésimo quatragésimo sexto, síngulis plaudéntibus ordínibus. In hoc autem simulácro sacrum Antístitis caput reconditũ fuit, réliquæ vero córporis partes, majoribus síquidẽ retentis, apud Vénetos, Gallós, Romános, Cálabros, Sículos, finitimósque pópulos summo cum honóre translátæ ad hæc usque témpora devotíssime servántur. Sacéllum vero posterióres Archiepíscopi, & præsertim Thomas. Carácciolo, & Joánnes Baptista Stella (jucundíssimæ, eternæque memóriæ Pontífices) mirum in modum ampliándum, ornandúmque curárunt. Novíssime áutẽ Joséphus Capycius-Latro sacrárium novo opere ornátum réddidit, & vestíbulum sacélli collátis Fidélium oblatiónibus elegántius compósuit.

IN-

INFRA OCTAVAM
INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS
SANCTI CATALDI EPISCOPI

De hac Octava nulla fit in die Ascensionis, aut in triduo Pentecostes commemoratio. Fit tamen ejus commemoratio infra prædictorum Festorum Octavas.

Ipsa vero dies Octava Festi si incurrat in diem Ascensionis, fit de Octava commemoratio. Si infra Octavam Ascensionis, vel in feria VI. post eādē Octavam, officium fit duplex de Octava Festi cum Commemor. Octavæ Ascensionis, vel dictæ Feriæ sextæ. Si in vigiliam Pentecostes fit tantum commemor. diei Octavæ, præterquam in primis vesperis Pentecostes. Post triduum Pentecostes in quamcumque ejus hebdomadæ diem hæc Octava dies incidat, fit tantum de Octava hujus Festi Commemoratio.

DIE XI. MAII

SECUNDA DIE INFRA OCTAVAM

ET IN MENSE JUNII, ET NOVEMBRIS.

In hac Octava omnia dicuntur, ut in die festo, exceptis lectionibus secundi Nocturni.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.* 34.

Haec dicit Dóminus Deus, o pastóres Israel, qui pascunt se solos! Numquid non oves pascunt pastóres? Id est, non se pascunt pastóres, sed oves. Hæc prima caussa est, quare arguántur pastóres isti, quia se ipsos pascunt, non oves. Qui sunt, qui seipsos pascunt? De quibus Apo-

Apostolus dicit. *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Nos enim, quos in isto loco, de quo periculosa ratio rédditur, Dóminus secúndum dignatiónem suam, non secúndum méritum nostrum constítuit, habémus duo quædã: unum, quod Christiáni sumus; alterũ, quod Præpósiti sumus.

Lectio V.

ILlud, quod Christiáni sumus, propter nos est: quod autem Præpósiti sumus, propter vos est. In eo quod Christiáni sumus, atténditur utilitas nostra: in eo quod Præpósiti, nonnisi vestra. Sunt autem multi Christiáni, & non Præpósiti, qui pervéniunt ad Deum facilióri fortasse itinere, & tanto forte expedítius ambulántes, quanto minórem sárcinam portant. Nos autem, excepto quod Christiáni sumus, unde ratiónem reddémus Deo de vita nostra, sumus etiam Præpósiti, unde ratiónem reddémus Deo de dispensatióne nostra. Ad hoc istam difficultátem propono, ut compatiéntes nobis, orétis pro nobis.

Lectio VI.

CUm ergo Præpósiti ad hoc sint, ut his, qui subjécti sunt, cónsulant; nõ in eo quod præsunt, omníno utilitátem suam adténdant, sed eorum, quibus minístrant. Quisquis ita Præpósitus est, ut in eo, quod Præpósitus est, gaudeat, & honórem suũ quærat, & commoda sua sola réspiciat, se pascit, nõ oves. Ad hos sermo dirígitur. Audite tanquam oves Dei, & vidéte, quemádmodum vos secúros fécerit Deus: qualescúmque sint, qui vobis præsunt, id est, qualescúmque nos simus; vobis securitátem dedit, qui pascit Israel. Nã Deus non déserit oves suas, & mali Pastóres pœnas debitas luent, & oves promíssa percípient.

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.* 34.

VIdeámus ergo, quid alloquátur pastóres se ipsos pascéntes, non oves, sermo divinus néminē palpans. *Ecce lac consúmitis, & lanis vos tégitis, & quod crassum est, interfícitis, & oves meas non páscitis: quod infirmátum est, non confortástis; & quod ægrótum est, non corroborástis; & quod contribulátū est, non colligástis; & quod errábat, non revocástis; & quod périit, non inquisístis; & quod forte fuit, confecístis: & dispérsæ sunt oves meæ, eo quod non sit pastor.* Dícitur in pastóres pascéntes semetípsos, non oves, quid diligant, quid négligant. Quid ergo díligunt? *Lac consúmitis, & lanis vos tégitis.* Propter quod Apóstolus dicit. *Quis plantat víneam, & de fructu ejus non sumit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non pércipit?* Invénimus ergo esse lac gregis, quidquid a plebe Dei tribúitur Præpósitis ad sustētándum victum temporalē. Inde enim loquebátur Apóstolus, cum hæc díceret, quæ commemorávi.

Lectio V.

ET quidē Apóstolus quāquā elégerit mánibus suis tránsigi, & nec ipsū lac quaérere ab óvibus; tamen lactis percipiéndi potestátē habére se dixit, & sic Dóminum disposuísse, ut qui Evangélium annúnciāt, de Evángelio vivant. Et dicit, alios Coapóstolos suos usos fuisse hac potestáte; non usurpáta, sed data. Plus ille fecit, ut nec quod debebátur accíperet. Ipse ergo donávit & débitum: sed alius non éxigit indébitum: ille plus fecit. Fortássis enim ipsum significábat, qui ægrum cum addúceret ad stabulárium, dixit, si

ſi quid ámplius erogáveris, in redeúndo reddam tibi. De his ergo, qui non índigent lacte gregis, quid plura dicámus? Miſericordióres ſunt, vel potius ipſius miſericórdiæ officium lárgius impendunt. Poſſunt enim; & quod poſſunt, faciunt. Laudentur hi, nec damnéntur illi.

Lectio VI.

NAm & ipſe Apóſtolus datum non quærébat; fructuóſas tamen oves eſſe cupiébat, non ſtériles ſine lactis ubertáte. Itaque cum eſſet quodam témpore in magna indigéntia; vinctus in confeſſióne veritátis, miſſum eſt illi a frátribus, unde neceſſitáti & indigéntiæ ejus miniſtrarétur. Reſpóndit autē illis grátias agens, & dixit, bene feciſtis communicáre neceſſitátibus meis. *Ego enim dídici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe: ſcio & abundáre, & penúriam pati: ómnia poſſum in eo, qui me confórtat.* Verúmtamen vos bene fecíſtis, úſibus meis míttere. Sed ut oſténderet, in eo quod illi bene fecérunt, quid ipse quæreret, ne inter illos eſſet, qui ſeípſos paſcunt, non oves, non tam ſuæ gaudet ſubvéntum eſſe neceſſitáti, quā illórum gratulátur fæcunditáti.

E DIE

QUARTA DIE INFRA OCTAVAM,

ET IN MENSE JULII, ET DECEMBRIS.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.34.*

QUi ergo non possunt fácere, quod Paulus, ut mánibus suis se tránsigant, accípiant de lacte ovium, sustnéntent suam necessitátem; sed non négligant óvium infirmitátem: non hoc sibi quærant, tāquam cómmodū suum, ut ex necessitáte suæ penúriæ videántur annuntiáre Evāgélium; sed homínibus illumināndis præbeant lucē verbi veritátis. Sunt enim tamquam lucérnæ, sicut dictum est, *sint lumbi vestri accíncti, & lucérnæ ardentes: & nemo accéndit lucérnam, & ponit eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt: sic luceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona ópera vestra, & glorífícent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Si ergo tibi lucérna accenderétur in domo, nonne adjiceres óleum, ne extingueretur? Porro si lucérna, accépto óleo, non lucéret, non erat plane digna, quæ in cādelábro ponerétur, sed quæ contínuo frangerétur.

Lectio V.

UNde ergo vívitur, necessitátis est accípere, caritátis est præbére: non tamquam venále sit Evangélium, ut illud sit prétium ejus, quod sumunt, qui annúntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accípiāt sustentatiónem necessitátis a pópulo, mercédem dispensatiónis a Dómino. Non enim est idóneus pópulus réddere mercédem illis, qui sibi in caritáte Evangélii sérviunt. Non expéctent illi mercédem,

dem, nisi unde & isti salútem. Quid ergo isti increpántur, unde arguúntur? Quia cùm lac consúmerent, & lanis se tegerent, oves negligébant. Sua ergo tantum quærébant, non quæ Jesu Christi.

Lectio VI.

SEd quóniam díximus, quid sit lac consúmere, quærámus, quid sit lanis se tégere. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honórem præbet. Ista sunt duo, quæ a pópulis quærunt, qui se ipsos pascunt, non oves, commodum suppléndæ necessitátis, & favórem honóris & laudis. Etenim vestiméntum proptérea bene intellígitur in honóre, quia nuditátem cóntegit. Est enim unusquísque homo infírmus. Et quid est quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? Carnem portat, mortális est, mandúcat, dormit, surgit, natus est, moritúrus est. Si ergo cógitas, quid sit secúndum se ipsum, homo est: tu tamen honorándo eum velut Angelum, cóntegis quod infírmum est.

DIE XIV. MAII

QUINTA DIE INFRA OCTAVAM.

ET IN MENSE AUGUSTI, ET JANUARII.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.* 34.

HUjúsmodi indumentū accéperat a bona Dei plebe idem Paulus, cum díceret, sicut Angelum Dei suscepístis me: testimónium vobis perhíbeo, quia si fieri posset, óculos vestros eruissétis, & dedissétis mihi. Sed cum tantus illi honor exhíbitus esset, numquid propter ipsum honórem sibi exhíbitum, ne forte cum argúeret, negaretur, & minus ipse Apóstolus laudarétur, pepércit errántibus?

 Nam

Nam si hoc fecísset, esset inter illos, qui se ipsos pascunt, non oves: díceret apud se ipsum, Quid ad me pértinet? Quisque quod velit agat; victus meus salvus est, honor meus salvus est; & lac, & lana satis est mihi: eat quisque, qua potest. Ergo íntegra tibi sunt omnia, si eat quisque, qua potest? Nolo te Præpósitum fácere, unum te constítuo de ipsa plebe. Si pátitur unum membrum, compatiúntur ómnia membra.

Lectio V.

PRoínde ipse Apóstolus, cum eos commemoráret, quales fuerint erga illum, ne quasi oblítus eorum honorificéntiæ viderétur, testimónium pérhibet, quod sicut Angelum Dei suscéperint eum; & quod, si fieri posset, óculos suos vellent erúere, & illi dare: & tamen accédit ad ovem lánguidam, ad ovē pútridam, secáre vulnus, non párcere putrédini. Ergo, inquit, inimícus factus sum vobis verū prædicās? Ecce & accépit de lacte ovium, sicut paulo ante commemorávi, & indútus est lanis óvium; sed tamē oves non néglexit. Non enim sua quærébat, sed quæ Jesu Christi.

Lectio VI.

ABsit ergo, ut dicámus vobis, vívite ut vultis, secúri estóte, Deus néminem perdet, tantummodo fidem Christiánam tenéte; nō perdet ille, quos redémit, non perdet, pro quibus sánguinem fudit. Et si spectáculis voluéritis oblectáre ánimos vestros, ite; quid mali est? Et festa ista, quæ celebrántur per univérsas civitátes in lætítia conviványtium, & públicis mensis se ipsos ut putant jucundántium, re vera magis perdéntium, ite, celebráte: magna est Dei misericórdia, quæ totum ignóscat. Coronáte vos rosis, antequam marcéscant. In domo Dei vestri, quando voluéritis, cōvivémini; implémini cibo & vino cum vestris: ad hoc enim data est ista creatu-

túra, ut ea perfruamini: non enim ímpiis & Pagánis eam dedit Deus, & vobis non dedit. Hæc si dixérimus, forte congregábimus turbas amplióres: & si sunt quidam, qui nos séntiant hæc dicéntes non recte sapére, paucos offéndimus, sed multitúdinem conciliamus. Quod si fecérimus, non verba Dei, non verba Christi dicéntes, sed nostra; érimus pastóres nosmetípsos pascéntes, non oves.

DIE XV. MAII.

SEXTA DIE INFRA OCTAVAM.

ET IN MENSE SEPTEMBRIS, ET FEBRUARII.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.* 34.

CUm autem dixísset, quæ díligant isti pastóres, dicit & quæ négligant. Vitia enim ovium late patent; sanæ atque crassæ oves pérpaucæ sunt, id est, sólidæ in cibo veritátis, uténtes páscuis bene de múnere Dei. Sed mali illi pastóres non parcunt talibus. Parum est, quod illas languéntes & infírmas & errántes, & pérditas non curant: etiam istas fortes & pingues necant, quantum in ipsis est. Illæ vivant de misericórdia Dei: tamen quantum ad pastóres malos áttinet, occídunt. Quómodo, inquis, occidunt? Male vivéndo, malum exémplum præbéndo. An frustra dictum est servo Dei, eminenti in membris summi pastóris, circa omnes te ipsum bonórū operū præbe exémplum? &, forma esto fidelibus?

Lectio V.

ATtendit enim ovis etiam fortis plerúmque Præpósitum suum male vivéntem: si declínet óculos a régulis Domini, &

intendat in hóminem, íncipit dícere in corde suo, si Præpósitus meus sic vivit, ego quis sum, qui nō faciam, quod ille facit? Occídit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem; jam de cæteris quid faciet, qui illud, quod non ipse fortificaverat, sed forte, aut robustum invénerat, male vivéndo interfécit? Dico caritati vestræ, iterum dico, etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Dómini, & tenent illud, quod audiérunt a Domino suo, quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolíte: tamen qui in conspéctu pópuli male vivit, quantum in illo est, eum, a quo atténditur, occídit.

Lectio VI.

NOn sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicída est. Quómodo cum lascívus homo inténdit in muliérem ad concupiscéndum eam; ecce illa casta est, & mœchus iste. Dómini enim vera, & apérta senténtia est: *Quisquis viderit muliérem ad concupiscéndū eam, jam mœchátus est eā in corde suo*. Non pervénit ad illius cubículum, & in interióre jam suo cubículo volutátur. Sic omnis, qui male vivit in conspectu eórum, quibus Præpósitus est, quantum in ipso est, occídit & fortes oves. Qui ergo imitatur Præpósitum malum, móritur; qui non imitatur, vivit: tamen quātum ad illum pértinet, ambos occídit. *Et quod crassum est*, inquit, *interficitis, & oves meas non páscitis*.

DIE

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM.

ET IN MENSE OCTOBRIS, ET APRILIS.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélẽ *cap.* 34.

JAm audístis, quid díligant, audíte, quid négligant. *Quod infirmum est, non confortástis; & quod male habuit, non corroborástis; & quod contribulátum est,* id est confráctum, *non colligastis, & quod errábat, non revocástis; & quod périit, non inquisístis; & quod forte fuit, confecístis,* id est, interfecístis & occidistis. Infírmum quippe ánimum gerit ovis, quando tentatiónes sibi futúras non credit. Pastor négligens, quando sic credit talis infírmus, non illi dicit; Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia & timóre, & praépara ánimam tuam ad tentatiónem. Qui enim hoc lóquitur, confórtat infirmum, & ex infírmo facit firmum, ut non ille, cum credíderit, próspera hujus saéculi speret.

Lectio V.

SI autem doctus fúerit sperare próspera hujus saéculi, ipsa prosperitáte corrúmpitur: superveniéntibus enim adversitátibus sauciatur, aut fortássis extínguitur. Non ergo eum ædíficat super petram, qui sic ædíficat, sed super arénam. Petra autem erat Christus. Christi passiónes imitandæ sunt, non a Christiáno delíciæ conquiréndæ. Confortátur infírmus, cum ei dícitur: Spera quidem tentationes hujus sæculi, sed ab omnibus eruet te Dóminus, si ab illo non recésserit retro cor tuum. Nam ad confortándum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiníri, venit spinis coronári, venit oppróbria audíre, venit postrémo ligno confígi:

ómnia hæc ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te.

Lectio VI.

QUales autem sunt, qui timéntes eos laédere, quibus loquúntur, non solum non praéparant ad imminéntes tentatiónes, sed etiam promíttunt felicitátē hujus sæculi, quam Deus ipsi sæculo non promísit. Ille prædícit labóres usque in finem ventúros ipsi sæculo, & tu vis ab istis labóribus excéptum esse Christiánum? qui *quia Christiánus est*, áliquid plus passúrus est in hoc sæculo. Etenim ait Apóstolus: Omnes qui volunt in Christo pie vívere, persecutiónem patiéntur. Jam si tibi placet, o pastor tua quærens, non quæ Jesu Christi, ille dicat, Omnes, qui volunt in Christo pie vivere, persecutiónem patientur: & tu dic, si volúeris in Christo pie vivere, abundábunt tibi ómnia bona; & si filios non habes, suscípies, & enutries omnes, nemo tibi moriétur.

DIE XVII. MAII

IN DIE OCTAVA.

Omnia ut in Festo, exceptis Lectionibus II. & III. Nocturni.

Lectio IV.

Sermo S. Augustíni Epíscopi in Ezechiélē *cap.* 34.

Q*Uod infirmum est*, inquit, *non confortástis*. Pastóribus malis dicit, pastóribus falsis, pastóribus sua quæréntibus, non quæ Jesu Christi, ex commodo lactis, & lanæ gaudéntibus, oves omníno non curántibus, & quod male hábuit, non corroborántibus. Inter infírmum, id est, non firmum: nam dicuntur infírmi etiam ægrotántes: sed inter infirmum & ægrótum, id est, male habéntem,

tem, hoc mihi vidétur interésse. Etenim ista, Fratres, quæ distínguere utcúmque conámur, forte & nos póssumus majóre diligéntia mélius distínguere, & alius perítior, vel lúmine cordis plénior: ínterim ne fraudémini, quantum ad verba attinet Scriptúræ, quod séntio loquor. Infírmo ne áccidat tentátio, & eum frangat, timéndum est: languens autem jam cupiditáte áliqua ægrótat, & cupiditáte áliqua impedítur ab intránda via Dei, a subeúndo jugo Christi.

Lectio V.

ADténdite illos hómines voléntes bene vívere, jam statuéntes bene vívere, & minus idóneos mala pati, sicut paráti sũt bona fácere. Pértinet autẽ ad Christiánam firmitátem, non solum operári, quæ bona sunt, sed & toleráre, quæ mala sunt. Qui ergo vidéntur fervére in opéribus bonis, sed imminéntes passiónes toleráre nolle, aut non posse, infírmi sunt. Qui vero áliqua cupiditáte mala amatóres mundi ab ipsis bonis opéribus revocántur, lánguidi & ægróti jacent: quippe qui ipso languóre, tamquam sine ullis víribus, nihil boni possunt operári. Talis in ánima paralyticus ille fuit, quem cum ad Dóminum inférre non possent, qui eum portábant, tectum aperuérunt, & deposuérunt: id est, tãquam si in ánima hoc velis fácere, ut tectum apérias, & depónas ad Dominum ánimam paralyticam, dissolútam ómnibus mémbris, & vacántem ab omni ópere bono, gravatã utique peccátis suis, & languéntem morbo cupiditátis suæ.

Lectio VI.

SI ergo dissolúta sũt mẽbra ómnia, & est parálysis intérior, ut pervénias ad medicum, (forte enim latet médicus, & intus est, hoc est, iste verus intelléctus in Scriptúris occúltus est) exponendo, quod occúltum est, áperi tectum, & depone paralyticum. Quod qui non fá-

fáciunt, & qui fácere négligunt, audístis, quæ áudiant: *quod male hábuit, non corroboráſtis; & quod contribulátum eſt, non colligaſtis*. Jam hinc diximus. Fractus enim erat terróre tentatiónū: áccidit áliquid, unde quod fractum eſt, colligétur, conſolátio illa, fidélis Deus, qui non vos ſinet tentári ſupra quam potéſtis ferre, ſed fáciet cū tentatióne étiam éxitum, ut possítis ſuſtinére.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndū Joánnem. *Cap.* 10.

IN illo témpore: Dixit Jeſus Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimā ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homilía S. Auguſtíni Epíſcopi.

ILli autem non caſte annuntiábant, de quibus gemit Apóſtolus. Sed quid dicit? Quid enim? Dum omni modo, ſive occaſióne, ſive veritáte Chriſtus annuntiétur. Permíſit ergo eſſe mercenários. Paſtor veritáte Chriſtum annúntiat, mercenárius occaſióne Chriſtū annúntiat, aliud quærens. Tamen & ille Chriſtum annúntiat, & ille Chriſtū. Audi vocem paſtóris Pauli: ſive occaſióne, ſive veritáte, Chriſtus annuntiétur. Ipſe paſtor vóluit habére mercenáriū. Fáciunt enim, ubi poſſunt, útiles ſunt, quātū poſſunt.

Lectio VIII.

QUando autem ad alios uſus quærébat Apóſtolus, cujus vias imitaréntur infírmi: Miſi vobis, inquit, Timótheum, qui vos commonefáciat vias meas. Et quid ait? Miſi paſtórem, qui vos commonéret vias meas: id eſt, qui quómodo ego ámbulo, & ipſe ámbulat. Et mittens paſtórem, quid ait? Néminem enim habeo tā unánimem, qui ſincéra affectióne pro vobis ſollícitus ſit. Nonne cum illo erant multi? Sed quid ſéquitur? Omnes enim ſua quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti:

ſti: id eſt, ego vobis paſtórem míttere volui; nã multi mercenárii ſunt: ſed non oportúerat, ut mercenárius mitterétur.

Lectio IX.

AD alias res & negótia peragénda mittitur mercenárius: ad illas autem, quas tunc volebat Paulus, paſtor erat neceſſárius. Et vix invénit unum paſtorem inter multos mercenários: quia pauci paſtóres, multi mercenárii. Sed quid dícitur de mercenáriis? Amen dico vobis, percepérunt mercédem ſuam. De paſtóre autem, quid ait Apoſtolus? Quiſquis autem mundáverit ſe ab hujúſmodi, erit vas in honórem ſanctificátum, & útile dómino, ad omne opus bonum parátũ ſemper. Non ad quaſdam res parátum, & ad quaſdam non parátum; ſed ad omne bonum opus parátũ. Hæc de paſtóribus dixi.

Pro officio S.Cataldi Epiſcopi præcipui Patroni Civitatis & Diœceſis Tarẽtinæ, per annum, & ejus commem. inter ſuffrag. poſt com. Apoſt., niſi fiat com. ejuſdem S. Protectoris. In primis, & ſecundis vesperis, & ad laudes antiph., & verſ., ut in officio: Oratio vero, ut ſequitur.

Oratio.

DEus, fidélium lumen, & Paſtor animárũ, qui beátum Cataldum Epíſcopum in Eccléſia poſuíſti: ut oves tuas verbo páſceret, & informáret exémplo; da nobis ejus interceſſióne, & fidem ſerváre, quam verbo dócuit: & vitam ſequi, quam exemplo monſtrávit. Per Dóminum noſtrum &c.

CA-

CANONES SYNODORUM PROVINCIALIUM, ET DIŒCESANORUM PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA OBSERVANDA.

Die VIII. Martii in festo S. Cataldi Episcopi.

Ex Constitutiónibus Provincialibus Laelii Brancatii Archiepiscopi Tarentini. *Ann.* 1595.

De Canónicis.

CAnonicórum vita eórum título respóndeat, sintque reipsa, ut sunt notorie Canónici, idest reguláres; probábile enim est, primam eórum originem a Monástica disciplina demanásse; dum in choro assistunt, præter talárem túnicam, & superpelliceum, almútia ferant, divinas láudes in choro reverenter persólvant, nec sint in sédibus suis otiósi, ut alii eórum exemplo ad stúdium divini cultus accendantur.

Die X. Maii in festo Inventionis & Translationis S. Cataldi Episcopi.

Ex Constitutiónibus Synodálibus Cardinalis Cajetano Archiepiscopi Tarentini. *Ann.* 1614.

De vita & honestáte Clericórum.

OFficium divinum, quod recitáre, vel beneficii, vel órdinis, vel utriúsque obligatióne Clérici tenéntur, non solum ore, verum étiam ánimi attentióne récitent: neque inter dicendum huc, aut illuc ánimo vagéntur, sed toto cordis affectu in id tantum inténdant; & licet omnem diligéntiam adhibére débeant, ut ne per minimum quidem témporis spatium animum aliò avértant, consultíssimè tamen facient, si antequam officium dicendum aggrediantur, coram Deo humíliter protesténtur, se eo animo offícium dicéndum susci-

pe-

pere, ut in ea re præſtanda múneri ſuo plene ſatisfaciant.

Die XI. Maii, ſecunda die infra octavam, & in menſe Junii, & Novembris.

Ex Conſtitutiónibus Synodalibus Thomæ Caracciolo Archiepíſcopi Tarentíni. *Ann.* 1644.

De Exéquiis.

CLérici omnes, ſive Sæculares, ſive Regulares, qui ad funus fuérint vocati, veſte talari, ac Cotta indúti, ab Ecclésia, in qua cadáver eſt inferéndum, non diſcédant, niſi prius ad Ecclésiam mortuus dilatus fúerit, neve ante, vel poſt solis occaſum, niſi ex gravi neceſſitate afferatur, neque díebus feſtis de mane, niſi celebratis miſſis, vel aliis diébus, dum major miſſa peragitur, clamóres & ejulatús ſuper defunctórum corpóribus in Ecclésia non permíttant, nec cadaverum circumductiónes per Civitátem, ſed recta & comodióri via ad Ecclésiam traducantur.

Die XII. Maii, tertia die infra octavam.

Ex Conſtitutiónibus Synodalibus Octavii Francipani Myrto Archiepíſcopi Tarentíni. *Ann.* 1611.

De vita & honeſtáte Clericórum.

CLericalis habitus talis exiſtat, ut in eo nec ſordes, nec exquisítæ deliciæ jure poſſint reprehéndi: laneus tamen ſit, & infra génua demíſſus, nigro colóre, alióve órdini & dignitati Sacerdotali congruènti, ſeu in caligis albo utantur, nulla tamen aliquórum colórum vanitate diſtínctus. Si vero fúerint in itínere, eo decenti habitu utantur, in quo qui víderint, dignitatem ſacerdotalem agnóſcant, & veneréntur: in præmiſſis autem omnibus

bus si quis delíquerit, & non obedíerit, in censúras & Ecclesiasticas pœnas incidet.

Die XIII. Maii, quarta die infra octavam, & in mense Julii, & Decembris.

Ex Constitutiónibus Synodalibus Octavii Prancipani Myrto Archiepíscopi Tarentini. *Ann.* 1611.

De Sacraménto Pœniténtiæ.

AEquum est, ut hoc Pœniténtiæ Sacraméntum, quo Deo reconciliamur, non in ædibus privatis, sed in domo Dei administrétur: ideo Sacerdótes, nisi ex caussa necessaria, non alibi, quam in Ecclésia, nec in locis abditis, sed conspícuis, & sédibus, quas ad id tam in Cathedrali Ecclésia, quam in Parochialibus constituéndas præcípimus, confessiónem alicújus, præsertim mulierum audiant. Clericalem Birétum, non autem píleum, habens in capite, & superpellíceo sit indútus Confessarius; quod si quis ausu temerario contravenire præsumpserit, ab audiéndis confessiónibus perpétuo suspendatur.

Die XIV. Maii, quinta die infra octavam, & in mense Augusti, & Januarii.

Ex Constitutiónibus Provincialibus Laelii Brancatii Archiepíscopi Tarentini. *Ann.* 1595.

De Sacramentórum administratióne.

PArochus, aut eo impedito quilibet Confessarius, & Sacérdos quacumque diéi, seu noctis hora vocatus fúerit ad aliqua administranda Sacraménta, sine ulla mora accédat, officiumque suum prompte omnino præstet. Quod si ejus negligéntia quíspiam sine Sacramentórum susceptióne discésserit, ultra gravíssimi scéleris reatum, aliis etiam pœnis E-

Epíſcopi arbítrio ſeveriſſime puniatur.

Die XV. Maii, ſexta die infra octavam, & in menſe Septembris, & Februarii.

Ex Conſtitutiónibus Synodalibus Thomæ Caracciolo Archiepíſcopi Tarentíni. *Ann.* 1644.

De Capítulis, & Canónicis.

PRæſente Prælato in Eccléſia, & præſértim in majóribus anni feſtivitatibus, ac Quatrageſimali, & Advéntus témpore, & ordinatiónum, cum ab ipſo celebrabitur, ne Pontificalis viléſcat dignitas, ſi pauci ſunt, qui miſſas ac divínas laudes perſólvant, mandamus, & præcípimus, ut omnes Canónici, & alii de Capítulo, & Clero hujus noſtræ Eccléſiæ præſentes ſint: qui vero contraire præſúmpſerit, & legítimam non addúxerit excuſatiónem, pœna plectétur.

Die XVI. Maii, ſeptima die infra octavam, & in menſe Octobris, & Aprilis.

Ex Conſtitutiónibus Synodalibus Cardinalis Caetano Archiepíſcopi Tarentini. *Ann.* 1614.

De vita, & honeſtáte Clericórum.

ILlícitas negotiatiónes & mercatúras, neque per ſe, neque per interpóſitas perſónas exérceant; non fruges, óleum, & alios terræ fructus, vel alia mércium génera per ſe, vel per alios émant, ut plúris vendant. Non laicórum prædia condúcant, nec mechanicis ártibus dent óperam; non tutelas, non rei rúſticæ, aut familiares adminiſtratiónes, nobis inconſúltis, accípiant. Non Judicis, non Médici officio fungantur: nec Notariatus, aut Tabellionatus munus in foro ſæculari ſuſcípiant; neque Procuratóris, & Advocati partes ibi-

ibídem súbeant; nisi in causis pauperum, & miserabilium personarum gratis, & nulla pénitus mercede recépta.

Die XVII. Maii, in die octava.

Ex Constitutiónibus Provincialibus Laelii Brancatii Archiepíscopi Tarentíni. *Ann.* 1595.

De Sacrifício Missæ.

ECclesiarum Rectóres, & Sacristæ, seu sæculares sint, seu Regulares, nullum vagum & peregrínum sacerdótem admittant, nisi prius ab Epíscopo ejus loci celebrandi facultatem ex scripto obtinúerit, nec Epíscopus eam concédat, nisi ille commendatítias literas sui Ordinarii exhibúerit, non ante sex menses conféctas, nisi aliud Epíscopo videatur. Qui contra fécerit tam célebrans quam celebrantem admittens, Epíscopi arbítrio puniatur: si quem constet falsis líteris Dimissorialibus uti, in eum Epíscopus juxta Canónicas Sanctiónes animadvértat.

FINIS.